

**Disputatio medica de chylificatione, sive cibi in chylum mutatione ... /
[Bernhard Wilhelm Geilfus].**

Contributors

Geilfus, Bernhard Wilhelm, active 1674-1676.
Waldschmidt, Johann Jakob, 1644-1687.
Philipps-Universität Marburg.

Publication/Creation

Marburgi Cattorum : Typis Salomonis Schadewitzii, 1674.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b4g46n5e>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. I.
DISPUTATIO MEDICA
DE
CHYLI¹⁶
IFICATIONE,

SIVE
CIBI IN CHYLU^m MUTATIONE,

Quam

Sub PRÆSIDIO

IOH. IACOBI *Waldschmidt*/

Medicinæ Doctoris, ejusdeinque Professoris
Ordinarii.

Publico subjicit examini,

A U T H O R

BERNHARDUS WILHELMUS GEILFUS.

Butisb.

In Auditorio Medico,

Die V. Decembris MDCLXXIV.

RIC^o 175
5

MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.
Anno M.DC.LXXIV.

S E R E N I S S I M Æ
A C C E L S I S S I M Æ
PRINCIPI AC DOMINÆ,
DOMINÆ

H E D W I G I
S O P H I A Æ,

E X E L E C T O R A L I
M A R C H I O N U M B R A N -
D E N B U R G E N S I U M S T I R P E C E L S I S S I -
M Æ N A T A Æ, M A G D E B U R G I, B O R U S S I A Æ, J U L I A -
C I, E L I V I A Æ, M O N T I U M, S T E T I N I, P O M E R A N I A Æ
D U C I, H A S S I A Æ L A N D G R A V I A Æ, PRINCIPI H E R S -
F E L D I A Æ, H A L B E R S T A D I I E T M I N D A Æ , C O M I T I
C A T T I M E L I B O C I, D E C I A Æ, Z I E G E N H A I N A Æ, N I D -
D A Æ, S C H A U M B U R G I, M A R C A Æ E T R A V E N S B U R -
G I, D O M I N A Æ I N R A V E N S T E I N &c. &c. &c. &c.
V I D U A Æ, T U T R I C I A C R E G E N T I, H A S S I A Æ
R E C T R I C I A C G L O R I O S I S S I M Æ,
P R I N C I P I A C D O M I N A Æ S V A Æ C L E M E N T I S S I M Æ.

*Dissertationem hanc Medicam devotissimè sacram esse,
humillimè jubet, & in humillima devotionis
monumentum*

Submississimè offert

Bernhardus Wilhelmus Geilfusius.

I.

 Odierni philosophi, contemplantes
hoc universum, & non contenti solis
veterum principiis, eò usque pervene-
runt, ut omissis qualitatibus occultis,
spretisque facultatibus physiologicis,
(quibus in corporum naturalium explicatione uti-
bantur veteres) in macrocosmo stirpium nutritio-
nem, & auctionem, seu vegetationem clarè ac per-
spicuè, per solam partium magnitudinem, situm
& figuram, accedente solis calore, & materiæ sub-
tilis agitatione, explicarunt, & ad sensum demon-
strârunt, inter quos agmen ducit & choreas *Joh.
Baptista Denys, Consiliarius & Archiater Regis
Galliae*, quem in nostra de Chylificatione disputa-
tione medica, in omnibus tanquam fidelissimum
imitabimur Præceptorem; Nulli enim dubitamus,
si admirāda hæc naturæ opera in Macrocosmo tam
clare ac perspicue explicari potuerūt, & nos in Mi-
crocosmo eadē facilitate ac perspicuitate admiran-
dum illud chylificationis opus, per solam partium fi-
guram magnitudinem & motū in ventriculo & in
intestinis, orbis eruditio proponere, & explicare posse. Si

A

enim

enim illi per motum succi nutricii, è tellure in stirpes
à calore impulsi, docuerunt partium diversitatem,
& qualitatum differentiam, si inquam illi monstrarunt,
quomodo radices generentur in terra, trun-
cus supra terram, pars medullaris in centro, cortex
in peripheria, folia itidem flores & fructus. Nos ci-
bi in Chylimutationem brevibus, sed claris ac per-
spicuis verbis, per ipsius dissolutionem in ore, fer-
mentationem in ventriculo, effervescentiam in in-
testinis tenuibus, sine ulla non intelligibili specifica
facultate, sine ullo specifico calore, & aliis qualitati-
bus occultis describemus. Quod ut in Medicinæ
incrementum, & ægrorum salutem vergat, in vo-
camus summum & Macrocosmi, & Microcosmi
conservatorem Deum T.O.M. velit nobis sua gra-
tia & Spiritu veritatis addesse, & nos in omnem du-
cere veritatem.

II. Cibus, quia neque crudus, neque igni culina-
ri coctus commode deglutiri potest, multo minus à
fermento ventriculi, seu liquore ejus acido (ita enim
imposterum fermentum hoc nominabimus) exacte
dissolvi, opus est, ut molitura quædam præcedat,
quæ cibum subsecuturæ fermentationi in ventricu-
lo præparet, illa præparatio fit per comedionem,
quæ genus quoddam solutionis est, in illa comedio-
ne sensatio excitatur, seu gustus, sensu tactus adeo
sumi-

• 3 •

similis, ut istius species quædam esse videatur, ut notat *laboriosissimus Naturæ scrutator, & Philosophus Celeberrimus Aristoteles.* Hæc sensatio quomodo fiat describi posset etiam ad mentem, normam & formam Neotericorum, si esset hujus loci, itaque hâc certis ex causis omissa, hoc saltem notabimus dependere præcipue ab hoc sensu & vitam & vegetationem animalium, dum alimenta congrua ab incongruis, & salubria à noxiis discernit, & pro individuo non minùs, quam specie tuenda *Cupido & Venus*, intercedit.

III. Quam primum cibus quaqua versum in ore agitur, & dentibus conteritur, exstillat è glandulis peculiare quoddam menstruum, undiq; per palati poros affluens, quod sale suo, de quo participat, discinebit cibum in minutiora corpuscula, quæ salivæ seu menstruo innatantia, pro diversitate motus, quò circumnatando fibras linguæ nervosas afficiunt, seseque poris linguæ insinuant, varios constituunt sapores, ne vero putas, me destitutum ex perimentis, quibus illam corpusculorum in poros linguæ insinuationem confirmare possim, ob seruos velim, unum saporem non rarò aliud exclude re, nonne enim dulcia prælibata, quia viscosa, & valde obstruentia sunt, accuratiorem vini gustum impediunt, aut pervertunt, qui restituitur per sa-

lium, aut acrum comestionem, ut linguae pori aperiatur, & viscositates inhærentes abstergantur?

IV. Cum verò saporum speculatio plurima jucunda, & non minus utilia in se contineat, placet hic non nihil pedem figere, & ex Cl. Willis: *sua de saporibus cedrō sanè digna cogitata producere*: dividit itaque *Celeberrimus Angliae Practicus* saporem in simplices, & compositos. Simplices recensentur novem: Acris, amarus, falsus, acidus, adstringens, acerbus, dulcis, oleosus, insipidus.

V. Acris, qualis in pipere, inquit, & pyrethro, sentitur sapor, quando corporis alicujus particulæ sunt teretes, & aculeatæ, eoque modo, quō urticarum aculei figuratæ: in his corporibus præpollet sal volatilis aut alkalisatus, aut ab igne fluorem passus, inter naturalia è multis sunt ranunculus, sinapi, in regno vegetabili, in minerali arsenicum, in animali cantharides: inter artificialia sunt $\text{\textst}\ddot{\text{e}}$ sublimatus, Butterū antimonii & alia, si quidem Chymicis notū est, corpora ignis beneficio posse fieri acriora, quatenus stimuli acuuntur, quod videre est in $\text{\textst}\ddot{\text{o}}$ lo calcinato, & lapide infernali; & corpora, quæ ex sua natura sunt acria & corrosiva, sibi invicem mixta & igni commissa, fieri etiam acriora, sales enim congeneres commissi jungunt suas acies, quod non faciunt sales diversi generis, ut videmus, si sp. $\text{\textst}\ddot{\text{o}}$ li affundatur oleo

• 5 •

oleo ḡri, quæ in se mutuo agunt, & aculeos diffingunt, non aliter ac si cultri unius acies alterius aciei affricetur.

VI. Amarus sapor fit à particulis, quarum aculei sunt furcati, superficie tenuis saltem sensorium sufficientibus, non aliter, ac si aculeatus dipsaci fructus asperè in manibus contrectetur.

VII. Salsus producitur sapor à particulis plurimos angulos habentibus, & quarum laterum acies sunt aculeatæ, ut in vitri confracti frustulis manibus arctè compressis videmus: talis salsedo tolli aut alterari sæpiissimè potest, tūm ab igne, si sales repetitis destillationibus subjiciantur, tūm ab aëre, dum observamus sales antea albos, si humido exponuntur aëri, resolvi in liquorem rubicundum, odoris fuliginosi, si ita loqui liceat, ob nullam aliam causam, quam quia salinæ particulæ volatiles, ab aëre humido à mixto solutæ volant, remanentibus sulphureis, & prædominium nanciscientibus.

VIII. Saporem acidum dicunt fieri à sale fixo, in fluorem verso, dum particulæ alicujus corporis modificantur & figurantur in particulas tetrahedricas, ita ut quovis modo nervosis fibris applicatæ eas pungant, & foveas ac ampliores immersionses, quam particulæ salsa, in iis relinquant: talia corpora sunt acetum & ejus Spiritus, humor melancholi-

66(6) 90

cus præter naturalis , saliva scorbuticorum , sucus pancreaticus p. n. Acidi illi sapores corrigi possunt longa digestione ac circulatione , vel si corpora quædam liquoribus acidis immergantur, quorum compagem solvant , & per corrosionem illam vel aliter modificantur , vel in poris imbibantur: sic spiritus acetii affusus ol: tri. & iterum per destillationem abstractus , omnem amittit aciditatem : spiritus Oli & vivo affusus & iterum destillatus , non magis est acidus, sed aluminosi saporis, si Helmontio credimus, & notum est, minii additione dulcescere acetum.

IX. Saporem austерum, sive adstringentem, describimus cum prælaudato Medico, *Dn. Willifio cap. de gustu* per particulas hamulis quam plurimis prædictas , quæ inter masticandum fibris infiguntur, eas valde constringunt , ac convellunt, non aliter ac si peñten , quo lanam carminant , vario hinc inde tractu super manus duceretur. Dum econtra saporis acerbi causa etiam consistat in particulis, hamulos & unciolos habentibus, sed quæ magis sint hebetes ac obtusæ, & semel in fixæ non facile tolli possint: non aliter, ac fructus Bardanæ cuti affixus. exinde enim stupor ab dentibus acerbis conciliatur. Mirandum quare prægustato vitriolo , si fumus tabaci ore accipiatur, sapor austerus sensui à Olo im pref-

(7)

pressus, in dulcescentem & planè mellitum com-
mutetur !

X. Sapor dulcis consistit in titillatione sensorii,
dùm leni affrictu particulae molles jucundum volu-
ptatis sensum excitant, non aliter, ac plumarum
striæ hypochondriis ac pedū volis admotæ. Sapo-
rum horum natura ita clara & perspicua cuilibet
legenti erit, ut non opus sit in reliquorum explica-
tione cum tædio immorari, multò minus de com-
positis hic agere, cùm ex antedictis reliqua omnia
facilè intelligi possint. Neque regeres, doctrinam
hanc de saporibus esse magis ingeniosam, quam
utilem, certè cùm multorum morborum causæ
consistant in austero, amaro, acerbo, acido &c. do-
cente communi nostro Præceptore *Hippocr. l. de
veteri Medicina*: maximè necessarium erit natu-
ram & genesin horum saporum nosse, ut eò feli-
cius à medicamentis corrigi & immutari possint.

XI. Ut verò cibi progressum sequamur: dici-
mus, particulas cibi in ore salivæ innatantes, & va-
rio motu agitatas, tandem deglutiri cum saliva, &
à ventriculo excipi, in quem in ipsa deglutitione, &
ventriculi motu, effunditur liquor quidam acidus
per minutissimos ductus à glandulis, quibus co-
piosa referta est interior Ventriculi membrana, qui
liquor acidus inchoatam in ore à saliva dissolutio-

nem

nem continuat & ulterius perficit, ut in minutissimas redigantur corpuscula deglutita particulas. Ita ut non opus habeamus alias specificas quasdam & non intelligibiles excogitare causas, sed acquiescere possimus in sola partium dispositione, cum eisdem ferè effectus videamus frequenter etiam in artificiis. In molendis, quibus charta conficitur, aqua continuo itu & reditu dissolvit linteum in minutissima filamenta, & fere in materiam pultis instar, unde fit charta : In Chymicis operationibus videmus durissima solvi corpora, v.g. ferrum, aurum, coralium à liquoribus acidis, quales sunt, succus citri, sp. citri, & alii. Quia horum particulae tetrahedricæ permeant corpora dissolvenda, eaque dissolvunt.

XII. Ex his supponimus liquorem ventriculi acidum, & salivam ejusdem esse plane naturæ, non solum enim observamus, interiorem tunicam & linguæ & ventriculo communem, verum etiam linguæ temperiem mutari pro vario ventriculi statu, & sæpius ita denigrari, & ascende fuligine obduci, ut videmus caminum à fumo subjecti ignis non raro in crustari.

XIII. Et illa, quæ grati sunt saporis, facillimè digeruntur. Hinc etiam deducimus causam linguæ ariditatis in febribus ardentibus, quatenus à calore liquor ille acidus in ventriculo exsiccatur, & cum

illo

(9)

illo saliva in ore, hinc si commedant ægri, febrem
potius augeri videmus, quam corpus nutriri.

XIV. Liquor ille acidus est vera & unica famis
& appetitus causa, in cuius explicatione Authores
valdè sudarunt, dum alii per suctionem alii per
fermenti acidi à liene inspirationem, alii per cibi
reliquias, alii denique per spiritus famelicos cau-
sam explicarint, quorum nomina & diversas opi-
niones videsis apud Mæbium, in suis ad invidiam
etiam jactis fundamentis physiologicis Cap. de usu
Ventriculi.

XV. Si enim liquor hic acidus, magna copia ef-
fundatur in ventriculum, & nihil, in quod agat, in-
veniat, infert molestum quendam orificii ventriculi
sensum, & appetitum ad edendum excitat: quòd si
sit paulò acrior, excitat famem caninam & appeti-
tum nimium, siquidem observamus, si calor vehe-
mens illum agitet, tunc edi effectus miratu dignos-
nonne videmus, animalia quædam voracia digerere
posse concoctu difficillima? ob liquoris hujus aciditatem,
qui corrodendo ipsorum ventriculis valde
molestus est, si non habeant, quibus sedent ac mi-
tigent ejus aciditatem, hæcque animalia sunt quasi
in continua febri: inde concludimus cum Helmon-
tio calorem non efficienter digerere, nec propriè
esse causam dissolutionis ciborum, sed solum agi-

tare & movere aquam ventriculi acidam, solutionis veram & efficientem causam.

XVI. Requiritur sānē calor moderatus, qui jūvet & promoveat fermentationem, cūm nullus calor sit sine motu, sic si phiolategatur manu in præcipitatione 80° q̄ri. ebullitio etiam ad oculum fit major: motus corporis excitat appetitum, quatenus ob sanguinis agitationem aqua acida destillat in ventriculum, & qui debilem habent calorem, sibi optimè consulunt, assumentes succo ladam post cibum, & superbibentes vinum malvaticum.

XVII. Calor enim falsas particulas liquat ad statum fusionis, si fuerit conveniens, quoniam, sicut ab admixto fermento panis in loco tepido bene, in frigido ægrè, in olibano fervente nihil prorsus fermentatur, ita etiam liquor ille acidus non nisi à moderato ventriculi calore excitatur, à nimis parvo non afficitur, à nimis magno discutitur: neq; enim sequitur: quo major est ventriculi calor, eò major erit fames, ac eò fortior & melior fiet coctio, contrarium enim liquet in causo & ventriculi inflammatione; item in Leone, qui etsi inter animalia calidissimus esse censeatur, nihilominus ferrum, aurum, æs, non concoquit, quæ tamen in ventriculo struthionis facile digeruntur, quem admodum in aula Ducis Ferrariæ se struthionem talia metalla deglutientem, &

con-

— 11 —

concoquentem vidisse refert *Langius l.n. Epist. 15.*
quo de vide *Cl. Diemebrock.*

XVIII. Verum quamvis aqua hæc acida sit sufficiens solvendis ciborum particulis, tamen successu temporis ejus particulæ obtunduntur, ut vides cultros, quo sæpius illis utimur, eò faciliùs eorum fieri cuspides obtusas.

XIX. Videmus hoc in saliva & in liquore ventriculi: siquidem salivæ particulæ obtusiores factæ, perdunt suam activitatem, unde gustus perit, & satietas supervenit: in ventriculo vero, egresso chylo, non statim iterum percipitur illa corrosio, qua fermentum in poris ciborum se subduxit, & denuò de novo affluens, novam debet excitare famem.

XX. His ex principiis quam facile possumus reddere rationem, quare sæpius pereat appetitus in totum, & quare digestio sit vitiosa, vel nulla, si vel pituita, vel melancholia, vel bilis hospitet in ventriculo: nam quemadmodum aqua fortissimam suam perdit activitatem in solvendis metallis, si misceatur cum aqua communi, sic perit etiam omnis fermenti efficacia, si misceatur aliis cum vitiosis humoribus & quia liquor acidus destillare debet in ventriculum, & titillare membranas ejus pro excitando appetitu, si orificia horum ductuum obducantur viscoso quodam humore, si obstruantur arteriolas

rum extremitates, & cum ipsis glandulæ, peribit tunc omnis appetitus: in tali casu admodum proficuus est vomitus, ut & usus liquorum detergentium, ad evacuandum ventriculum; idem accidit in glandulis salivalibus limoso quodam succo obductis, si enim os non eluatur ante cibi assumptionem, vix ullum poteris deprehendere saporem: frequentissimè tale quid observamus in reconvalscientibus febricitantibus, & in naturis pituitosis, quibus per noctem in somno magna pituitæ & viscosi humoris copia linguam & palatum obducit.

XXI. Si itaque appetitus pereat ob defectum aquæ acidæ, tunc conveniunt salia, & omnia acida, quæ cum cibo deglutita & agitata à calore supplant vicem ventriculi fermenti, & ob hanc causam conamur restaurare appetitum cibis aceto & omphacio conditis, certum etiam est, cibos de sale participantes, facilius coqui, & digeri, sic panis fermentatus plus nutrit, quam non fermentatus, & recens caro suilla difficultioris est concoctionis sale conditâ.

XXII. Diximus liquorem acidum dissolvere ulterius cibum masticatum, & à saliva solutum, quæ dissolutio sine ingressu in poros minutissimarum etiam particularum fieri nequit, inde patet ratio, quare nonnulla vel planè non, vel tam difficulter

con-

concoqui possint, si enim pori ciborum ita sint clausi, si particulæ ita concatenatæ, ut nulla relinquant in se spatia intermedia, tum incocta, cruda, & in digesta transeunt ventriculum & intestina, & per alvum iterum excernuntur: talia sunt nuclei cerasorum, pili, uvarum tunicæ &c. quorum superficies est adeo firma & polita, ut liquor acidus non inventiat poros, per quos ingredi, eaq; dissolvere possit.

XXIII. Verisimile itidem est, liquorem acidum non exstillare magna in copia è glandulis in ventriculum, nisi eo tempore quo deglutitur cibus, ut supra diximus: unde distenduntur fibræ partim à pondere, partim à fermentatione, premuntur glandulæ, & exprimitur liquor acidus, eo modo quo aqua exstillat è spongia, manu leviter compressa.

XXIV. Et cum in digestione & ciborum coctione maximum fiat liquoris hujus dispendium, conjecturamus, successivè iterum impleri hoc liquore glandulas: si enim confertim fieret, nullas à fame haberemus inducias, siquidem glandulæ illæ sunt instar mammarum lactantium, quæ suetæ copiose sese exonerant, & non nisi paulatim replentur; Et quemadmodum ubera si non sugantur flaccescunt, sic si quis in ediam per aliquot dies sustinuerit, nullam amplius sentiet famem, quia pori glandularum subsiderunt, ita ut estillare nequeat liquor acidus,

unde tandem omnimoda sequitur earundem exsiccatio, & talem in ediam passi parca manu debent assumere cibum, quia liquor acidus est in exigua copia superstes, adeoque concoctio valde debilis & languida gravissimi morbi author imò & mortis esse potest, quod observatum fuit s̄epissimè in his, qui post longam inediam avidè & largiter comedunt.

XXV. Hactenus nihil admisimus, nisi quod clare ac distinctè percipi possit, Alimenti in chylum mutationem per salivæ admixtionem, & dentium contritionem, nec non per ventriculi dispositiōnem, ibidemque hospitans fermentum, additis ciborum poris, & qualitatibus, clarè quidem & perspicue descripsimus, ita ut nihil clarius ac evidenter meo iudicio dici possit. Restat ut modum hujus dissolutionis etiam addamus, antequām ulterius progrediamur.

XXVI. Putamus autem fieri hanc cibi in chylum mutationem in ventriculo per fermentationem quandam, non obstantibus speciosis etiam argumentis partim à Doctiss. Schockio, in tr. de ferment. prolatis, partim à Domino Piens in tr. de febribus adductis & repetitis, ad quæ in conflictu solide respondere semper parati sumus.

XXVII. Fithæc fermentatio sine vehementi mo-

tu,

tu fursūm deorsumque, aut tumultuosa per ventri-
 culi cavitatem agitatione, qualis in aqua ad ignem
 ebulliente contingit, nihilominus est adeò valida, ut
 per eam cibi licet durissimi, qui super igne culinario
 vix totius diei coctione in lebete emolliri queunt,
 paucis horis non tantum emoliantur, sed adeò et-
 iam dissolvantur ac liqueantur, ut particulæ ab ami-
 ca unione disiectæ, atque ab invicem divulsa, liquo-
 rique ventriculo inherent vel in fuso commissa,
 pultaceam consistentiam, cremori ptisanæ non ab-
 similem, consequantur, ut loquitur *Nobiliss. Domi-*
nus Dimebrock. calculū suum his addit *Dn. Broeck-*
huysen in suis de mente & corpore succinctis cogita-
tionibus p. 49. inquiens : Concoctio hæc non alia
 est, quam fermentatio quædam, quæ cibi & potus
 salivâ permixti alterantur, inciduntur, sicut cibi in
 lebete circumjectis prunis in convenientem maf-
 fam, vel liquorem mutantur: dixi olla, quia ventri-
 culus eodem modo per vicinas ipsi partes sovetur,
 calor enim & fatus circumiacentium partium, sive
 immediate per arterias, sive ab ipsis prodeat, ut sunt
 lien, hepar, pancreas, & mesenterium, conco-
 ctionem mirifice promovet. Earum quippe par-
 tium particulæ celeriter & vario motu adactæ, cum
 per poros ventriculi foris introspectantes indesi-
 nenter pelluntur, non possunt non suo impulsu ex-
 cirare

citare fermentationem, quâ totum hoc negotium perficitur, quo circa Gal. hæc viscera vocat foculos quosdam igniarios.

XXVIII. Cibum sic in chylum mutatum statuimus egredi ventriculo, & ingredi intestina tenuia, in quorum limine & principio nova fit effervescentia, à novo fermento, à duobus liquoribus acido & salso constituto, producta, de qua non nihil etiam tradidit Dominus Præses in sua de Dysenteria maligna ex iisdem descripta principiis Disputatione.

XXIX. Chylus cessante jam fermentatione in ventriculo illabitur intestina, sine ulla vel attractione vel expulsione, cuius egressum necessariò subsequitur fibrarum ventriculi subsidentia & contractio, qua chyli exitus non nihil promovetur, non alter ac si vesica aqua velaere impleta sponte contractitur, ac subsidet, quâm primum aër vel aqua distensionis & inflationis causa egrediantur.

XXX. Cùm verò illa fibrarum ventriculi distensio nunquam fiat, neque fieri possit sine partium, sub & circumiacentium molli compressione, evidentissime patet, quare duo diversi liquores, unus á latere sinistro, alter á dextro, in intestinum duodenum coctionis tempore effundantur, ita ut nec hic ullam, non intelligibilem, multò minus probabi-

lem

lem attractionem aut expulsionem imaginari debeamus. Siquidem hepar compressum stillat bilem, succum pancreaticum verò per proprium ductum & canalem pancreas, quemadmodum videmus, per levem etiam compressionem spongiam facillimè imbibitum evomere humorem.

XXXI. Horum liquorum accurata instituenda erit anatomia chymica, ut eò facilius eorum verum & legitimum usum describere queamus, & quidem de officio succi pancreatici vel altum est apud veteres silentium, vel gravis de ipsius usu disceptatio, cùm enim pancreatis usus æquè obscurus & tenebris involutus fuerit, non potuerunt non de succi ejusdem natura & qualitate facillimè à veritatis aberrare semita. *Regnerus de Graff* primus ejusdem fuit Patronus, qui sub oculis & directione *Cl. Sylvii* cordate ejus usum & modum colligendi orbi eruditò consecravit: edito libello quodam gallicè de succo pancreatico conscripto, Anno 1666. cuius encomium his extollit verbis *Cl. Diemebrock*. Profectò, inquit, admodum ingeniosum est hoc inventum; ejusque nomine multùm debemus diligenti doctoꝝ inventori, qui hac sua industria magnam facem ad meliorem plurimorum morborum cognitionem accedit. Et cùm ipse præfatus *Cl. Dominus Diemebrock* in investigādo hoc succo pancreatico laudan-

dam etiam suam adhibuerit industriam, nolumus
 talem Virum, de Republica, ob multa clarissima ex-
 stantia eruditionis raræ monumenta, bene meritū,
 sua defraudare laude, sed ipsius verba huc appone-
 re. Cum animadverterem, inquit, omnes de pan-
 create opiniones prorsus conjecturales, Et omnino
 incertas esse, nec ullis rationibus, aut certis experi-
 mentis fulciri, in his hactenū fere neglecta partis
 examen antehac diligentius incumbere cœpi: Et
 post multa tentamina anatomica, (quorum nonnulla
 bene, multa male successerunt, propterea, quod in
 intestinum duodenum superius inferiusque liga-
 tum, Et tunc discessum, praeter succum pancreaticum,
 plerumq; copiosa bilis è ductu cholidocho in-
 flueret, succi pancreatici presentiam Et saporem,
 obscurans) comperi, cum in vivorum, tūm in recen-
 ter strangulatorum brutorum sectionibus è ductu
 pancreatico manifestum quendam liquorem sub-
 limpidum, Et quasi salivosum, nonnihil austерum,
 ac sub acidum effluere in duodenum intestinum,
 idque interdum copia non contemnenda. Pergit
 paulò post: Biennio postquam hæc scripseram, ob-
 lata nobis fuit disputatio Doctissimi Regneri de
 Graff, quondam mei discipuli, qui in Academia
 Leydensi, sub presidio Cl. Professoris Fr. de le Boë
 Sylvii, de pancreate, ejusque usu publicè disputans,

pre-

prædictam meam opinionem multò magis confirmabat. Ex quibus videmus, æqualem deberi utriq; gloriam, & Cl. Dn. Diemebrock & Dn. Graff.

XXXII. Quibus præmissis, describimus succum pancreaticum esse menstruum animale, clarum & pellucidum, saporis ad gratiam acidi, ex sanguinis arteriosi serosa ac subsalsa parte, admixtis spiritibus animalibus, per nervulos minimos allatis, in pancreate excoctum & generatum: à particulis illis acidis profluunt & emanant qualitates incidendi & dissolvendi, quibus succus ille pancreaticus pollet, & omnia Chymicorum menstrua solvendis corporibus destinata.

XXXIII. Æquè magnum de bile fuit apud veteres dubium, eaque de re maximè discordes sunt Doctorum sententiae. *Aristoteles* cum suis asseclis illam merum esse excrementum, & è sanguine expurgari statuit. *Alii* eam hepar calefacere, corroborare, & coctionem juvare scribunt. *Helmontius Philosophus acutissimus* illi vim balsamicam tribuit; *Galenici* eam fæcibus intestinalibus excernendis destinatam unanimi credunt consensu. Nos dicimus, esse succum multò nobiliorem, qui in nemine non invenitur, & sine quo vivere nemo diu potest, docente id *Fernelio*, l. 6. pathol. cap. 5. scribente, non paucos è vivis ereptos fuisse, in quibus non alia in-

teritus causa comparuit, quām quōd folliculus bile omnino exhaustus esset. Et constare ex sale volatili & lixivioso, particulis sulphureis & oleosis, quibus incidat, attenuet, & penetrēt: quod notum est pīctoribus, qui coloribus suis admiscent bilem, non solum, ut eō profundius penetrēt poros corporum colorandorum, sed etiam, ne tam facile ab aëris ambientis injutia colores corrumpantur. Notum hoc etiam est illis, qui nōrunt præparare globulos pro delendis vestium maculis, quibus bilem ob vim illam penetrandi, incidendi, & abstergendi admiscent.

XXXIV. Hi diversi liquores, quorum unus est acidus, alter amarus, novam chyli ventriculo egressi in intestino duodeno excitant effervescentiā, quam secundam in œconomia animali vocamus coctionem, quā effervescētia novam chylus induit formam, qui enim in ventriculo erat crassus & minus fluxilis, variique coloris, in intestinis tenuibus nunc fit fluidior, tenuior, & coloris instar lactis candicantis.

XXXV. Causa novae hujus effervescentiæ quærenda est in sale lixivioso, & spiritu acido: quam primum enim spiritus acidus affundatur sali lixivioso, manifesta oritur ebullitio, quod probo experimentis Chymicis. Si spiritus nitri affundatur limaturæ fer-

ri,

ri, manifesta oritur ebullitio, & paulò post ex hoc motu calor. Spiritus vitrioli affusus oleo tartari manifestam excitat effervescentiam, quid mirum ergo, si succus pancreaticus loco spiritus nitri vel vitrioli mixtus cum bile, quæ refert naturam olei tartari, & limaturam martis, talem manifestam excitet in intestinis tenuibus effervescentiem, à qua effervescentia omnes chyli qualitates manifestè deduci posse, postmodum audiemus.

XXXVI. Fermentatio horum liquorum ab adveniente chylo, crasso adhuc & viscido, potius augetur, quam quòd impediatur: si enim spiritui acido & sali lixivioso effervescentibus affundatur liquor quidam crassus, effervescentia augetur: sic si lac affundatur oleo tartari & spiritui vitrioli, statim major oritur ebullitio, quoniam omnes liquores crassi & viscidii in quavis ebullitione sese magis dilatant, ac expandunt, magisque rarefiunt, quod videre est in melle ebulliente super ignem, secus ac in vino & aliis tenuibus liquoribus.

XXXVII. Huic effervescentiæ si moderatus accedat calor, debita etiam & legitima fit coctio. Si bilis cum tertia parte spiritus vitrioli exponatur soli, incipiet confessim ebullire. Quòd si calor ille excedat, effervescentia etiam erit violentior & tumultuosior, inde oriuntur gravissima capitum mala, ver-

tigo, & phlogoses inter comedendum, hypochondriacis, & chlorosi laborantibus familiares: quoniam inter comedendum distenditur ventriculus, qui distensus comprimit partes adjacentes, quae effundunt suos liquores in utroque latere, hepar bilem, & pancreas succum pancreaticum, hi cum vitirosi sint, intemperies etiam viscerum adsint calidæ, impetuosis effervescent, & praedicta symptomata excitant, ut superius innuimus, quæque prolixius & clarius aliquando erunt explicanda, in disputacione de laesa chylificatione, si Deo placuerit.

XXXVIII. In hac effervescentia potissimum sanitatis punctum consistere, satis superque patet, cum non solum sanguinis qualitates, & sapores, verum etiam ipsius chyli dulcedo, albedo, & in vasa mesenterii spontaneus ingressus à sola hac effervescentia debite peracta dependeant.

XXXIX. Siquidem in illa effervescentia separantur partes homogeneæ ab heterogeneis, crassiores & fæculentiores à tenuioribus & subtilioribus, sitq; vera fæcum præcipitatio. Hæc à natura haud aliter instituitur, ac nos minium in aceto solutum per oleum tartari præcipitamus in sal dulce, sacharum saturni nominatum: eodem fere modo bilis effervescens cum chylo acido, partem fixiorem ac terrestriorem in subdulce excrementū præcipitat, quod neq;

neque de acido ventriculi, neque amarore bilis quicquam refert; quæ excrementa etiam à canibus avide degustantur: cum écontra, vitiosa prægressa effervescentia, nunquam ipsorum arrideant palato. Particulæ verò chyli subtiliores conantur recedere à centro, quod in omnibus fermentationibus fieri videntur, & illisæ parietibus intestinorum impetuosi adhuc motæ illabuntur poris vasorum Mesenterii, pars quædam ingreditur venas mesaraicas, & ad hepar defertur, in quo sit prima sanguificatio, pars verò innumeris excipitur vasis lacteis, & per ductum thoracicum cordi infertur, ibique nova accensione, de qua *Lowerus* & *Willisius* consulendi in spiritum vitalem mutatur. Hunc chyli motum promovet & adjuvat musculorum abdominis, una cum respiratione sursum deorsumque motorum impulsio, ut eruditè defendit, *Cl. Diemebrock*, contra *Dn. Deusingium* l. de motu chyli, suctionem quandā ac attractionem partibus tribuentem.

XL. Eadem hæc effervescentia gratam conciliat chylo dulcedinem, facillimè enim per fermentationem ex sapore amaro & acerbo oritur dulcedo, & hoc quidem in hac effervescentia ut plurimum sit à bile, quæ destruit acidum, & ab acido etiam dulcescit, quod accurate notavit *Helmontius*, dicens: *Acor à bile sana optimè subigitur, & acidum dul-*


24

dulcificat amarum. *Clar. Riverius* idem docet in sua praxi, p. m. 550. scribens : Amara dulcificantur per acida, quæ si intensa sint in suo gradu, ut spiritus vitrioli, aut sulphuris ipsius aloës & colocynthidis amaritudinem delent. Incidit hic, quod legisse me memini apud *Clar. Willisum* scribentem : A salis volatilisatione formam atq; pulchritudinom, atque saporem imprimis dulcem rebus accedere, prout in florido animalium sanguine, fructibus maturis, etiam in sacharo, lacte & melle experimur. Eodem etiam modo videmus, lithargyrium cum aceto mixtum & oleo tartari præcipitatum dulcescere, & cum bilis teste venerando *Helmontio* habeat alkali, sulphure oleoso rubro temperatum, mutetque acidum superstes in salsum volatile, facili negotio dulcedinis causa hâc ex effervescentia explicari poterit.

XLI. Tandem huic effervescentiæ etiam adscribimus, quod chylus sit coloris lactei, præsupponentes *ex Illustrissimo Boyle in suo de natura albedinis tractatu* : albedinem, prout est qualitas in objecto, in hoc præcipue consistere, quod superficies corporis, quod album dicitur, innumeris quasi superficieculis asperetur, quæ cum sint quasi specularis naturæ, eum insuper in modum sint positæ, ut aliis hâc, aliis illâc spectantibus, radios tamen,

tamen lucis , in eas incidentes , non versus se invicem , sed extrorsum , oculum spectatoris versum reflectant : de quo videri possunt Philosophiæ Atomicae resuscitatores , præprimis vero Gassendus , tr. de apparente magnitudine solis humili & sublimis . Bilis sanè , & succus pancreaticus non possunt alimenta attenuare , & in minutissimas resolvere particulas , quod illæ non arctius se unitant , componantque inæqualem superficiem , vel multis superficieculas asperas , in quarum poris , cum lumen non profundius se possit insinuare , reflectitur versus oculum spectatoris , & excitat sensum coloris albi . Et hæc est causa quare chylus in intestinis tenuibus perdat colorem cinereum , cuius causa dubio procul erat , quod lumen altius penetrans in poros , ibidemque distractum ob particulas nondum arctè sociatas , nullam faciebat reflectionem extrorsum . Sic videmus magis candicare calcem vivam , si affusâ aquâ ejus particulæ magis dividantur , & sese post arctius conjungant . Eadem est causa , quod lithargyrium rubrum mixtum cum aceto , constituat liquorem album , qui vocatur Medicis lac virginum . Et quod sulphur commune , quod solutum in lixivio Tartari , est rubrum , mixtum cum aceto illico lactescat , & à chymicis lac sulphuris vocatur . Quod etiam faciunt ,

spiritus: C: Cervi, aut fuliginis, liquori acido vel simplici aquæ affusi. Possem multas adhuc implere paginas variis experimentis, iisque meam confirmare opinionem, verum cum sperem, omnia ita clare ac perspicue fuisse explicata, ut a quovis clare ac distincte percipi possint, huic labori superfedebo. Deo vero T.O.M. sit laus & gloria semper eterna. AMEN!



DN. BERNHARDO WILHELMO GEILFUSIO, MAGNI GEILFUSII

F I L I O,

Ex animo gratulatur

P R A E S E S

JOH. JACOB Waldschmied, Doctor & Professor Ordinarius.

De Vos sunt, que in Studio Medicinae mihi potissimum displicant: Verborum Copia, & immatura ad praxin acceleratio. Utrumque amantissime Geilfusie cane pejus hactenus fugisti. Tua in discurrendo Modestia, in atten-

denda

denda Professorum opinione industria, profundioris Eruditionis index est certissima Tua
 in evolvendis Cl. Medicorum scriptis sedula-
 tas, quos in succum & sanguinem vertisti tuum,
 inter quos Riverius & Hoffmannus non infi-
 mum tenent ordinem, invictum est testimo-
 nium, te lento quidem, sed firme & longâ expe-
 rientiâ polito progredi ad praxin gradu: Ha-
 buisti multos precursores, in doctrina vel mi-
 nimè tibi aequales, celeri & inordinato per cam-
 pos diffusos ad praxin medicam tendentes cur-
 su, sed infausto & infelici: Utinam tardius
 iter vel iniissent vel perfecissent! cogitantes: Sat
 Citò, si Sat Benè. Vixisti mecum meisq; sub
 oculis Hanoviae, vidisti praxin meam; arcana
 & profundioris scientiæ thesauros in penu mea
 non invenisti, qui in studiis pauper ac inops
 sum: Vidistitamen aliqua, quæ tibi placuisse,
 quaq; progressus tuos facilitasse, tuaq; studia
 non parum animasse, sine arrogantia dicere
 possim. Forsan eo nomine eris felicior, quod
 humilem intraveris casam, in quibus etiam Dii
 habi-

habitant, relinquens aliis Magnorum Docto-
rum Palatia, in quibus præter pompam, splen-
dorem externum, & verborum luxuriem, NI-
HIL. Unicum superesset, ut Lauream tibi im-
ponerem Coronam, sed Scientia tua plus ultra
~~eradicavit~~ ^{eradicavit} Ita q̄ felici faustoq; pede, sic non solum
eris felicissimus, sed Deo etiam & homi-
nibus gratissimus.

Vale!

F I N I S.

